ANIMADVERSIONES IN FEBREM HECTICAM

Carolus Joanninius

Digitized by Google

5 / - 3/9.

Digitized by Google

ANIMADVERSIONES

IN FEBREM HECTICAM.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANIMADVERSIONES MEDICINÆ PRACTICÆ IN FEBREM HECTICAM.

AUCTORE

CAROLO JOANNINIO

Phil., & Med. Doct.

LUGANI)(MDCCLXIV.

Typis Agnelli, & Soc.

Digitized by Google

Digitized by Google

HECTICORUM MULTITUDINI
OPEM MEDICORUM PERPETUO' FLAGITANTI
ANIMADVERSIONES HAS CLINICAS
IN DELECTA HECTICÆ SUBSIDIA
PUBLICI JURIS FACTAS
NATURA DICTANTE,
MINISTRANTE ARTE
CAROLUS JOANNINIUS PHIL. MED.
DABAT.
VARISII ANNO MDCCLXIII.
IDIBUS FEBRUARII.

Digitized by Google

Index Capitum.

PArs prima de Hecticæ natura pag. 1
Caput primum de Definitione, & Diagnoſi. ibi
Caput ſecundum de Cauſſis, & Speciebus. 4
Caput tertium de Prognoſi. 17
Pars ſecunda de Hygieine antihectica. 20
Caput primum de Aere. ibi
Caput ſecundum de Cibo, & Potu. 22
Caput tertium de Somno, & Vigilia. 25
Caput quartum de Motu, & Quiete. 27
Caput quintum de Excretis, & Retentis. 29
Caput ſextum de Animi pathematibus. 31
Pars tertia de Therapeutice antihectica. 34
Caput primum de lacte. ibi
Caput ſecundum de Sanguinis miſſione. 37

Caput

Caput tertium de Refrigerantibus. 38
Caput quartum de Tuſſim ſedantibus. 40
Caput quintum de ſudores ſiſtentibus. 42
Caput ſextum de Somnum conciliantibus. 44
Caput ſeptimum de Diarrhoeam cohibentibus: 45
Caput octavum de Anxietatem lenientibus. 47
Caput nonum de Dolores pacantibus. 48
Caput decimum de Animi deliquium erigentibus. 49
Caput undecimum de Monitis in hecticam ſymptomaticam. ibi
Caput duodecimum de Monitis in hecticam compoſitam. 53

Digitized by Google

PARS PRIMA

De Natura Hecticæ.

CAPUT I.

De Definitione, & Diagnoſi.

I.

HEctica febrilis eſt morbus, continens, diutiſſimus, Ægrotantibus vix ſenſibilis, contagioſus, criſi carens, ſenſim emacians corpus ad mortem uſque.

II. Simplicia illius ſymptomata pecu-

Digitized by Google

liari ordine ſeſſe ità ſequuntur, ut Artis commodo febrilis periodus dividi in tres gradus queat titulo inchoati, aucti, & confirmati morbi.

III. Primum efficiunt gradum: (*a*) Aſpectus languor;

(*b*) Pulſus frequens, & aliquantiſper durus;

(*c*) Rara, atque irrita tuſſis;

(*d*) Sputa alba;

(*e*) Urina ſanæ conſimilis;

(*f*) Creſcens in dies mador cutis a cibo, a motu, a ſomno.

IV. Auctum denotant: (*a*) Spontanei in ſomno ſudores;

(*b*) Acer cutis calor;

(*c*) Evidens colliquatio corporis;

(*d*) Urina craſſitiem aranearum telis æqualem referens;

(*e*) Aucta pulſus frequentia;

(*f*) Crebra tuſſis.

V. Confirmatum indicant: (*a*) Celeritas pulſus;

(*b*) Reſpiratio frequens;

(*c*) Urinæ unctuoſæ;

(*d*) Uberrimi in ſomno ſudores;

(e)

Digitized by Google

(*e*) Capillorum caſus ;
(*f*) Sputa pinguia ;
(*g*) Macies ſumma ;
(*h*) Extrema livida ;
(*i*) Somnus brevis ;
(*k*) Perpollens mentis acies .

VI. Nonnullis adhuc ante obitum diebus alvi perſæpè fluxus; certò anxietas ; plurima tuſſis ; urinæ tenuitas ; anomali dolores ; levia animi deliquia ſuperveniunt : poſt quæ placida de repentè mors .

VII. His ſeriò perpenſis non difficilè reſpondetur quæſitis : (1) Cur temperamento calido-ſicco , atque ſimul minus firmo præditi huic morbo ſint obnoxii ?
(2) Cur intellectus eo præſtantior ſit , quo adultior febris ?
(3) Cur non langueant externi ſenſus ?
(4) Cur auditus , & odoratus excellentiores ?
(5) Cur lingua humida ?
(6) Cur graveolentes nonnihil hectici ?

Digitized by Google

CAPUT II.

De Cauſſis, & Speciebus.

VIII. ORitur a plurimis cauſſis Hectica, quæ quum diverſæ ſint, varia etiam ſunt ejus ſymptomata, ac duplicem non raro medendi indicationem expoſtulant; ea porrò diſtinguitur inprimis in eſſentialem, & ſymptomaticam.

IX. Eſſentialis, hoc eſt, a nullo in corpore præexiſtente morbo producta ſubdividitur, primo in hæreditariam, ſecundo contagio propagatam, atque, tertio ab erroribus rerum nonnaturalium ortam.

X. Symptomatica, aliis videlicet morbis genita multiplex quoque eſt quo ad ſuas cauſſas, quæ ſunt, 1. febres acutæ, 2. chronicæ, 3. abſceſſus; unde purulenta audit, 4. obſtructiones viſcerum.

XI. Hæreditaria hectica (IX. 1) citatiorem

Digitized by Google

rem pulſum habet, crebriorem tuſſim, ſudores, alvi fœces fœtulentioris odoris. Corripit ætatem avito more præciſam; prævidetur a præcoci aptitudine ingenii, facilitate excretionum naturalium, ſtructura, ut plurimum, procera atque gracili, veſpertina tuſſi, exquiſito ſenſuum officio.

XII. Quæritur inde, (1) cur ex congenita, atque adhuc immatura labe hirſuti & debiles?

(2) Cur moroſi, iracundi?

(3) Cur catharralibus morbis affecti, difficilè ex his convaleſcant?

(4) Cur velox iis capillorum incrementum?

(5) Cur differentia habenda ſit inter hæreditariam hecticam, atque hæreditariam phthiſim?

XIII. Contagio propagata præter genuina phœnomena (III.IV.V. VI.) affectiones habet certæ, datæque conſtitutionis, nulli parcit ætati, ſexui, ſtructuræ, vitæ generi; citius, aut ſerius vitiat: hoc ei peculiare, quo poroſior eſt cutis, quo recentior ætas, quo conſanguinitas proximior, vel ſimilior idioſyncraſia, rarior quoque remotior, habiliorve contagii eſt fomes.

XIV.

Digitized by Google

XIV. Intelligitur ergo (1) Cur veſtes pelliceæ laneæ, ſerico, vel camelorum pilis factæ ſint præcipuè hujuſce morbi fomites ?

(2) Cur ex lino cannabe, goſſypio contextæ miaſma hecticum minus retineant ?

(3) Cur aer anguſti cubiculi inficiat facile ?

(4) Cur ſputa recentia, vetuſta a nudo alioquin ſano corpore preſſa ; reſſidua præmanſorum ciborum, vel potuum facilimè ?

(5) Cur paris cum ægrotante ætatis concubitus citiſſimè ?

(6) Cur lactatus cæteris (XIV. 1. 2. 3. 4. 5.) tardius contaminet ?

XV. Non deſunt tamen exempla hanc non accidiſſe aliquando alterutri ex conjugibus, filiis lactatis, adſtantibus ſervis, infectas domus inhabitantibus.

XVI. Errores rerum nonnaturalium, qui hecticam pariunt ſunt : (1) Aer : Tempeſtas calida, & ſicca; ſeptentrionales, occidentales venti juſto frequentiores : cœnoſa indoles.

(2) Cibus : delectus nimius 1. panis ſiccioris naturæ : 2. carnium quarumcunque :

3. ovorum: 4. vegetabilium alcalinæ, atque exſiccantis virtutis: vel 5. præfame ex ineptis & pravis cibis; tum 6. & jejunium ſæpè actum.

(3) Potus: 1. hauſtus plurimus potionum ex alcalinis vel aromaticis; 2. illius penuria frequenter paſſa.

(4) Somnus crebrò interceptus.

(5) Vigilia: curæ munera, meditationes, colloquia indefeſſa.

(6) Motus: ambulationes longæ, crebræ, venationes immoderatæ, exercitia alia corporis ferè continua.

(7) Quies: conſueti exercitii privatio.

(8) Excreta copioſa neglecta, lactis, ſalivæ, ſeminis, lochiorum, ſanguinis, alvinarum fœcum, urinæ, ſudorum.

(9) Retenta: ſuppreſſio conſueti Naturæ, ſanguinis, lactis, tranſpirationis, ſudoris; æquo rarior alvinarum fœcum excretio.

(10) Animi pathemata: ira, ærumnæ, metus.

XVII. Quo plures ex narratis (XVI. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.) conveniunt cauſſæ, eo facilior Hectica, eoque ſenſibiliora apparent harum nonnulla phœnomena. (XVIII. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8.)

Digitized by Google

XVIII. Hinc liquet (1) cur hecticis a ſuppreſſo lacte clangoſa tuſſis, anxietas præcox, articulorum dolores?

(2) Cur præ ſuperfluo retento ſanguine convulſivæ affectiones, ac laſſitudo ſumma?

(3) Cur ob nimiam venerem dorſi obtuſus dolor?

(4) Cur alcalinorum abuſu copioſiores ſudores, & utior macies?

(5) Cur ex animi pathematibus flatus, innapetentia, languor maximus?

(6) Cur a nimiis excretionibus celerima conſumptio cum ſiti?

(7) Cur a ſuppreſſa tranſpiratione crebior tuſſis?

(8) Cur tempeſtate ſicca velocior febris?

(9) Cur nobiles, laute viventes, ſæpius egenis, plebeis, febricitent hectica?

(10) Cur prima religioſæ vitæ ætate adoleſcentes ſæpiſſime?

(11) Cur pueris parce nutritis, multum fatigatis frequens?

(12) Cur utcunque ægrotantium famulis, junioribus præſertim?

(13) Cur ſanatis ex amputatis membris?

(14) Cur virginibus menſtruationis tempore?

Digitized by Google

(15) Cur in aquam lapſis facilimè.

(16) Cur puerilis ætas altis clamoribus, minis perterrita, flagellis cæſa, nullis conceſſis conſumetur hectica.

(17) Cur juventus lautè vivens, mox egena, conceptis amoribus fraudata, pavore correpta, rerum ſollicitudine per varias vigilias turbata, intenſis ſtudiis exhauſta, venere perdita, convenienti corporis exercitio, & animi hilaritate ob mutatum vitæ genus privata, juſtè dolens de ſibi non conceſſis hecticæ pronior?

(18) Cur permutata in pejus ſors, juſta negata, temera familiæ inſolentia, lapſus ab honoribus, atque opibus, longa contentio, tam facilè adultam vitam hac febre afficiat?

(19) Cur ex omiſſo aſſueto corporis exercitio, indigentia, familiæ jactura, inſolenti ſervitute, propriæ impotentiæ cognitione ad agenda officia, afflictionibus aliis vel leviſſimis ſenes pariter hectici evadant?

XIX. Symptomatica (8) & 10. 1) ex acutis febribus gignitur 1. præ caccochymia primarum viarum initio earum turgente non purgata; 2. neglecto excretionum ſympromaticarum exceſſu. 3. retardatam per intempeſtiva evacuantia data coctione febrili. 4. hygieines erroribus.

XX.

Digitized by Google

XX. Symptomatica ex chronicis (X. 2.) oritur, 1. ob cauſſarum pertinaciam, 2. præpoſteram ex febrifugis medelam. 3. Diætæ erroribus.

XXI. Abſceſſus (X. 3.) hecticam inferunt. 1. ſtagnante pure: 2. cum lati ſunt, vel profundi, plures, vel nobiliori parte ſiti. 3. cum vires iis ferendis non ſufficiunt. 4. comitante humorum acrimonia vel ut anteriori cauſa, vel occurrente (23) morbo. 5. therapeutices, vel hygieines errante methodo.

XXII. Obſtructiones (X. 3) eandem excitant. 1. in ſoluta præ cauſſis, vel, diuturnitate ipſarum materia viſcus aliquod infarciente. 2. inopia humorum per ſudorifera, purgantia, diuretica, ſanguinis miſſionem, fonticulos nimium facta. 3. rerum nonnaturalium neglectu.

XXIII. Ideo facilè ſolvuntur quæſtiones: (1.) Cur in ſymptomatica hectica cutis minùs aſpera, & exſucca?

(2) Cur hecticæ ex ardenti febre natæ anxietas cita?

(3) Cur ex ſynocha alvi frequens fluxus curatu difficilis?

Digitized by Google

(4) Cur ex catharrali ſudorum ſimul, & urinarum exceſſus?

(5) Cur ex continuis periodicis, vel ſimpliciter intermittentibus, flatus, horrores, ſomnus breviſſimus, urinæ confuſæ, profuſiores ſudores?

(6) Cur ſi chronicis ſuccedit febribus horrores vagos, urinas divulſas plerunque ferat?

(7) Cur purulentæ ingraveſcentes hecticæ pomeridianis ut plurimum horis nova febri intermittentem ſimulante exacerbentur?

(8) Cur id temporis pulſus duriores, celeriores, anguſtiores, ac, ſequenti nocte uberiores ſudores?

(9) Cur ulceroſi abſceſſus ſpecies febris gradum, juvantium, & lædentium vires, rectam, vel pravam diætæ adminiſtrationem doceat?

(10) Cur in purulentis præcox ſæpè diarrhœa, atque in confirmatæ ſtadio hydrops, vel edema?

(11) Cur ventos, pluviam, caliginem, anxietatis, & lancinantis doloris repentino & evaneſcente ſenſu in parte affecta præſagiant purulentæ?

(12) Cur comitante utcunque (20. 4) acrimonia humorum, intercepto ſomno, crebriori tuſſi, vagis horroribus, intercurren-

rente anxietate, vexentur purulento-hectici?

(13) Cur in pejus ruente hectica purulenta externi ulceris pus ex albo in flavum, ac flavo-viridem colorem; ex levi in grave; ex ſpiſſo in tenue; ex inodoro in graveolens; ex blando in acre; ex æqualiter conſiſtenti in multiplicem ſubſtantiam tranſeat?

(14) Cur pulmones, vel ſedes morbi purulenti ſint, vel ultimo ſtadio (5) inficiantur?

(15) Cur purulenti ſimpliciter hectici acida avidè cupiant?

(16) Cur ex celtica, vel ſcorbutica labe purulentæ hecticæ peculiares quoque ipſarum mores ſervent?

(17) Cur purulentæ herpeticæ hecticæ convulſivi motus, & ſubſultum tendinum frequentes ſint.

(18) Cur canceroſæ hecticæ veſpertinæ exacerbationes febris, atque uberrimi nocte ſudores?

(19) Cur ſymptomaticæ ab obſtructionibus hecticæ febres vagæ ſuperadditæ, tuſſis, & reſpiratio crebrior, urinæ crudiores?

XXIV. Aliis in ſui decurſu occurren-

tium

Digitized by Google

tium morborum ſymptomatibus perſæpe gravatur hectica, quorum cauſa dividitur quoque in ſimplicem, & compoſitam: ſimplex illa dicitur, quæ ſola exiſtit; compoſita verò, quæ variis impertinentibus morbis corripitur; uti potiſſimum ſunt: 1 catharrales affectus, ephemera, ſynocha, intermittens febris; 2. contagia varia ex epidemica, endemica aeris intemperie, vel ſingularibus morbis orta; 3. chirurgici morbi. 4. fortuiti ex hygieines vel therapeutices erroribus.

XXV. Hinc ſcitur; (1) cur aeris incurſu vel leniſſimo quieto aliquantulum corpori obvio, mox coryza?

(2) Cur quo tardior mora, eo gravior catharralis affectus?

(3) Cur inſolatus catharralem ægritudinem facilius, quam ephemeram ſuſcitet?

(4) Cur ephemera a reliquis diætæ erratis frequentius accendatur?

(5) Cur iræ ærumnis metui acceſſus intermittentis febris?

(6) Cur facilis diarrhœa, tormina, decubitus?

(7) Cur eſſentialem æquè, ac ſymptomaticam hecticam invadant morbi?

XXV.

Digitized by Google

XXVI. Cognitis jam remotis, abſtruſam proximæ cauſſæ naturam eruet, qui ſequentia conſiderabit: I. Hectica affectos omiſſa curatione idem eſſe, ac certæ morti damnatos.

II. Ejus contagium inflammatione tumoribus, puſtulis, maculis, aliiſve morbis carere.

III. Primam periodi partem extendi perſæpè ad annum, & ultrà; ſecundam verò una cum tertia ad menſes aliquot.

IV. Integram periodum, excepto ultimo vitæ uſu (6) nullam ægris afferre ſui ſenſationem debilitate, ac tuſſis incommodo majorem.

V. Linearem habere decurſum, ejuſque exacerbationem ab alienis cauſſis excitari.

VI In nullas tranſire ægritudines, ſed altius radices agere.

VII. Solvi lentè ubique adipem, ſolutum miſceri ſputis, urinis, fœcibus, ſudoribus graveolenti aliquantulum odore.

VIII. Sudores ſingulis a ſomno noctibus uberiores expromi, nec contingente alvi fluxu, vel copioſo mictu ſiſti.

IX. Rutilum eſſe Hecticorum ſanguinem, parumque ſeri dimittere, quod in ipſis quoque cadaveribus obſervari.

X.

Digitized by Google

X. Internos, externoſque ſenſus, ne dum ſervari, ſed aptiores evadere.

XI. Humectantibus, refrigerantibus, ſubacidis blandis levari; alcalinis, aromaticis, amaris, exſiccantibus, opiatis exaſperari.

XII. Sanatos hectica debilem habere conſtitutionem, & ad relabendum paratam, pronamque.

XXVII. Num ergo culpanda ut cauſſa proxima putrida acrimonia humorum tam lenis, & levis, ut ſolida quidem non vulneret, horum autem motum ſollicitet in ipſorum per ſudores excretionem?

XXIII. Num ſudores ideò in ſomno plurimum emergunt, quia id temporis humores uberius renovantur? Judicent Docti.

XXIX. Interim conſtat, morbum hunc, nonniſi effectum eſſe leniſſimi, continui ſtimuli ſolventis humores in ſubputrem indolem, extuſque pellentis in novum fomitem, cogentis ſanguinem in proximam ſtaſim, quà victam deficere præ ſumma macie Naturam.

XXX. Neminem propterea latebit, quæ

Digitized by Google

quæ diverſitas ſit inter hecticam, tabem, atrophiam, & lentas febres. Hectica enim febrilem cum ſudore maciem ſimpliciter ponit. Tabes omnem colliquationis ſpeciem amplectitur, ſudoris nempè vel urinarum, ſeceſſus, ſanguinis, ſalivæ, ſeri, làctis, ſeminis, puris exceſſu notatam, ſingularem ſæpiſſimè ſolidorum alicubi læſionem habens. Atrophia ſolam corporis, vel partis exſiccationem denotat nutritionis defectu. Lentæ febres illæ ſunt, quæ jugiter vexantes carent plerunque auctis prætermodum excretionibus, cujuſmodi ſunt clorotica, rachitica, hippocundriaca, venerea ſæpe, ac ſcorbutica. Patet itaque hecticam eſſe quidem tabis, atrophiæ, lentarum febrium ſpeciem, more tamen & curandi methodo ex parte diſtinctam.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT III.

De Prognoſi .

XXX. ESſentialis , & ſimplex hectica , incohata facilis, aucta ſanatu difficilis, confirmata ferè impoſſibilis.

XXXI. Hæreditaria vix prophylactica præſervatur medela .

XXXII. Aeris ſiccitate (XVI. 1.) exorta cæteris (XVI. a 1. ad 9.) facilior; animi vero paſſionibus (XVI. 9.) ſuperveniens pervicacior .

XXXIII. Symptomaticam ex intermittentibus febribus, ac purulento ſimpliciter morbo factam, ætate puerili , loco puri detergendo apto, vel purulento a labe venerea aucto licet gradu ſanari non infrequens eſt.

XXXIV. Cancerofa hectica amputatione Cancri, ætate , & viribus adhuc valentibus primo ejus (3) ſtadio ritè celebratà facilimè poſtea curatur .

Digitized by Google

XXXV. Cæteræ ſymptomaticæ (XIX. 1. 2. 3. 4.) ex Artis lege radicitus curari ut plurimum nequeunt, diæteticis autem, (a 38. ad 65.) ac therapeuticis ſubſidiis (a 65 ad 116.) rectè adminiſtratis , quamdiù licet, moderantur.

XXXVI. Compoſitæ (XXIII. 1. 2. 3. 4.) Hecticæ curantur integrè, vel palliativè, prout 1. eſſentialem, & quidem recentem (VIII. 3.) vel ſymptomaticam (19.) 33. (34) contingentes morbi (XXIII. 1. 2. 3.) corripiunt. 2. levior, vel gravior, brevior, diuturnior eſt horum natura. 3. incommodiora, vel tollerabiliora ſymptomata excitant; 4. vel magis, minuſve illarum medelæ oppoſitas indicationes expetunt.

XXXVII. Cur ergo (1) quæ circa æquinoctia lethalis eſt a purulento morbo originem, ut plurimum, traxerit?

(2) Cur eſſentialis adultis fœminis ſit rarior viris?

(3) Cur eſſentialis nullam in cute ægritudinem referat, ſymptomatica autem eriſipelate, puſtulis, maculis, tumoribus afficiat cutem?

(4) Cur infantes ſymptomatica hæcti-

ctica perſæpè laborent ; ſenes autem eſſentiali ; iis curatu facilis , his difficilima.

(5) Cur raucedo , gravedo , aliique ex catharralibus morbi difficilè reſolvantur ?

(6) Cur ſynocha , & abſcedentes morbi intimè nectantur hecticæ ?

Digitized by Google

PARS SECUNDA

De Hygieine antibectica.

CAPUT I.

De Aere .

XXXVIII. AEr , ut variè afficitur pro cœlo ac temporibus , ità ejus ſelectus non parvi habendus eſt : plures namque ſóla aridæ tempeſtatis moderatione , placidove electo climate ab inchoato (3) morbo evaſiſſe multiplici obſervatione probatum eſt .

XXXIX.

Digitized by Google

XXXIX. Hecticorum natura calido-ſicca, ſimulque debilis nullum, niſi temperatum, ſerenum ad frigido-humidum declinantem aerem poſtulat, quo in regendo hæc animadvertenda ſunt: I. Si quibus corporis motus ad apertum aerem concedi poteſt, ſervatis ſervandis (41. ad 57.) eligant pacatum, ſuavem, ſylvis, & paludibus remotum: evitent montanum, vel prope valles flantem, caliginoſum quoque, fœdum, pluvioſum, atque inſolatum.

II. Domi quum ſe tenent, ne a feneſtris, januis, aut ubicunque aeris incurſum excipiant.

III. Cubiculo ubi jacere ſolent ſuccedant duo, triave alia benè cuſtodita, quò transferri commodè queant, ac præcipuè ſub meridiem, ut inhabitati cubiculi aer poſſit renovari.

XL. Cur in Noſocomiis facilius moriantur?

(2) Cur inſtantibus ventis inſomnes hectici?

(3) Cur flante auſtro malè ſe habeant?

(4) Cur ſæviente hyeme ab eſſentiali rarius obeant?

Digitized by Google

(5) Cur ruri melius, quam urbe degant?

(6) Cur ſæpiſſimè mors (6) prope plenilunium?

CAPUT II.

De Cibo, & Potu.

XLI. QUod Medicorum incuriæ, vel parſimoniæ mordicus referunt ægri, ad alendi rationem id maximè ſpectat: quid verò Ars præſtet, quæ Naturæ difficultas, cui obſtet pervicax morbus, ſatis norunt prudentes Clinici. Cæterum inficiari nequit obſcurum ſanè eſſe penes nonnullos, atque indiſtinctum alimentorum delectum.

XLII. Vera hectica blandum humectantem ex vegetabilibus victum poſcit: ingraveſcit ab eſu, & uſu carnium cujuſcumque ſpeciei, ovorum, lactis pinguis, vel æquo tardius preſſi; ac vegetabilium alcalinæ, vel ſtimulantis indolis.

XLIII. Nutritur 1. ex farinoſis blandis tam ſimplicibus, quam fermentatis, variis formis in pulmentum paratis, inter

quæ

quæ eminet oriza ; triticum, caſtaneæ, 2. lacte optimæ notæ (67) aquà diluto.

XLIV. Condimenta eliguntur ex lacte aqua permixto, vel emulſis ſeminibus blandis refrigerantibus, addito ſalis tantillo.

XLV. Recreandi guſtus gratia permittuntur horræi maturi, dulces, & cocti fructus, ut ceraſa, dactyli, poma, pyra, pruna.

XLVI. Ingerantur alimenta octava quaque nycthemeri hora inchoato (3) vel aucto (4) morbo: ſexta circiter in confirmato; (5) quantitate ad ætatem, conditionem, morbi ſtadium (3. 4. 5. 6.) ducta: cujus futuram proportionem anxietatis, caloris, vigiliæ, profuſioris ſudoris ex aſſumptis abſentia docebit.

XLVII. Potus materiam dat 1. Aqua ſimplex, pura. 2. Vinum rectè fermentatum ſubdulce aqua mixtum. 3. Decoctiones ex farinoſis (43) 1) Aquæ ſtillatitiæ ex herbis antihecticis (74. II.)

XLVIII. (1) Cur pulmentum ex grano

no turcico ſeceſſum facilè aperiat ?

(2) Cur farinoſa ex millio, pannico, avena, leguminibus plus, minuſve ſudores augeant ?

(3) Cur farinoſa in pulmentum coquenda parum torrefacere præſtet ?

(4) Cur panem tam avidè appetant hectici ?

(5) Cur vino dediti ab eſſentiali hectica preſerventur ?

(6) Cur vinum auſterum, vel horræi fructus crudi (45) tuſſim moveant ?

(7) Cur emulſiones largius potæ diarrhaem inducant ?

(8) Cur quo adultior hectica eo dilutiori alimento reficienda ?

(9) Cur actu valde calida, actuve frigida alimenta & potus noceant ?

CAPUT

CAPUT III.

De Somno & Vigilia.

XLIX. ALterum reſtaurandæ Naturæ præſidium ſomnus eſt, quem morbus evertere jugiter contendit : ſummæ ideò curæ Medicis eſſe oportet iis conſulere, quæ placidum, tempeſtivum, ac recreantem ſomnum facere in potis habent. Secunda ea propter hora in debilibus, tertia in minus infirmis a refecto corpore, omni valido utcumque objecto internos externoſque ſenſus exercitante interdicto, ſomnifero otio linquendi ſunt hectici. Quæ autem difficilem ſomnum peculiari virtute conciliant vide (82).

L. Somno vigilia ſuccedit, quâ mens curarum oblita, vel ſaltem levata recreari debet : ſtudia idcircò, domeſticæ curæ, animi contentiones procul arcenda ſunt, atque horum loco ſubſtituenda læta colloquia, amæna ſenſuum objecta.

XLXI. (1) Cur a ſingulo paſtu tempeſtivo (49) corripi ſomno bonum?

Digitized by Google

(2) Cur a ſomno artuum extrema molliora , calidiora ?

(3) Cur ab intercepto ſomno obſcura anxietas, quam ſuperveniens ſeceſſus liberat ?

(4) Cur ex brevi ſomno iracundia ?

(5) Cur aſpectus denotet num præceſſerit ſomnus ?

(6) Quæ, & quotuplex adſtantium cura in regimine ſomni .

(7) Cur a protracta vigilia non productior ſomnus malum ?

(8) Cur a portracta vigilia ſubſequenti ſomno largior ſudor ?

(9) Cur expergefactis crebrior aliquandiù tuſſis .

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

De Motu, & Quiete.

L I I. ETſi hectica a corporis motu exacerbari videatur, omnem verò motum prohibendum non eſſe medica jubet praxis: Duplex porrò eſt motus, activus nempe, ſeu viribus propriis innixus, paſſivus alter, ſeu ope medii transferentis. Primus hecticæ ſanè adverſus, qui virium diſpendium ſummoperè adauget, ſecundus opportunis horis moderatè initus mirum in modum hecticis confert.

LIII. Primo (3), & altero (4) ineunte morbi ſtadio conſtitutos juvant vectationes in rhæda, navi, lectícis; conveniunt ultimo (5) translationes ægrorum factæ ſede aut lecto in eodem domus ordine, vel blandiſſimæ frictiones.

LIV. Exerceantur hectici poſtrema ante alendi tempus hora, motu ad virium tolerantiam accomodato.

Digitized by Google

LV. Reliquum a motu temporis primum alendo corpori inſumant, tum lætis recreando ſenſus, donec emenſo vigiliæ ſpatio, ſomno (49) ſi velint, noviter indulgeant.

LVI. (1) Cur ipſo motus momento ſe recreari ſentiant?

(2) Cur & pulſus ſurgat?

(3) Cur a motu productior poſtea ſomnus, urinæ coctæ, ſudorum decrementum, artuum extremis humidus calor?

(4) Cur vectationis motus tertiam, vel quartam ab orto ſole horam attingens utilior?

(5) Cur ex longo, aut vehementi motu ſomnus brevior, copioſior ſudor?

(6) Cur ex diuturna quiete caccochymia primarum viarum, vigilia?

(7) Cur lectum molle eſſe oporteat?

(8) Quæ lecti ſtragula ſaniora?

(9) Cur ſternenda lintea lixivio quam diligentiſſime orbanda?

CA-

Digitized by Google

CAPUT V.

De Excretis, & Retentis.

LVII. NAtura quæ cum habituali febre colluctatur, ſuis quantum ipſi virium ineſt functionibus incumbere contendit, quæ ſi per miniſtrantem Medicum ſedulò regantur, non leve refert in certamine ſolatium: iis autem obeundis impura aſſumptorum excernere, retinere pura, his ſe reficere, obſiſtere noxiis, ſuperflua utcunque ſtatutis viis opportuno tempore dimittere; ſe ipſam vitæ commodo alterna viciſſitudine temperatam ſervare opus habet. Medici propterea munus eſt. I. ſeceſſum tardum abſque Naturæ labore, vitatis ſcilicet purgantibus, aperire emolliente enemate, eccoprotico mitiſſimo, Hecticæ naturæ adverſo.

II. Urinas æquo parciores aquoſis calidis fomentis, renum, ureterum, veſicæ regioni applicatis invitare.

III. Tranſpirationem inſenſibilem minutam, vel ſuppreſſam frictionibus lenibus

bus, additis veſtibus, urticatione levi educere.

IV. Naſi, faucium, pectoris conſueta purgamenta retenta atractis aquæ calentis vaporibus laxare.

V. Lochia, lac ſtagnantia per eadem (57. II. IV.) revocare.

VI. Statutas naturæ hœmorrhagias non excretas, præſentibus plethoræ indiciis, locali ſanguinis miſſione ſupplere.

§ LVIII. Quæ excretiones nimium fluentes moderantur (vid. a 79. ad 82., & a 86. ad 89.)

LIX. (1) Cur interdicenda venus?

(2) Cur a ſuppreſſa tranſpiratione largiores ſudores?

(3) Cur retenta tranſpiratio ambientis aeris æſtu non provocanda?

(4) Cur a tardiori alvo turbatus ſomnus, uberior ſudor?

(5) Cur urinis acquoſis crudis ſudorum copia?

(6) Cur menſtruantes inchoata, (3) & aucta (4) hectica adhuc plethoræ ſymptomatibus tententur?

7 Cur

(7) Cur, naſi, & hœmorroidum conſueta ſanguinis hoemorrhagia fruentibus eadem accidant? LIX. 6.)

(8) Cur laxatæ excretiones in habituales facilè tranſeant?

(9) Cur acutis excretionibus cubiculum, lecti ſtragula ſæpè mutanda?

(10) Cur ſuppreſſæ excretiones perrarò eſſentialem hecticam inferant?

(11) Cur ulcera externa natura, vel arte in ſalutis finem inſtituta excretorum, & retentorum regulis moderanda?

CAPUT VI.

De animi Pathematibus.

LX. HEcticorum natura moroſa eſt, ſollicita, ſtudioſa, pervicax, ſubtilis, memor, objurgationis impatiens, ſuſpicioſa, omnicupida, de morbi titulo incredula, abhorrens: certior autem facta adeò conſternitur, ut omni remediorum efficacia repente privetur.

LXI. Nullum ex animi pathematibus, ſpe excepta, Hecticis conferre obſervatur: lœtitia namque pullum quidem amplum

plum facit, at ſomnum intercipit, mentemque cogitatione fatigat: Riſus circulationis motum accelerat, & naturales evacuationes impellit: mœſtitia, & metus virium proſtrationem, vigiliam, flatus, debilitatem pulſus, uberiores ſudores incitant: ira febrem, ſudores, maciem adauget: ſollicitudo animi inquietudinem, vigiliam gignit. Spes autem febrilem circulationem temperat, placidum dat animum, appetitum ſervat, ſomno, & vigiliæ indifferens eſt.

LXII. In ſpe ſervanda circumſpectè agendum eſt, ne citam ſanitatis recuperationem credant ægri, unde præ lætitia inquieti evadant; vel eventu fraudati, indignatione, & ærumnis ſimul aſperentur: Conditionalis idcircò laudatur ſpes; tum ut prudentior, tum quia ægros rationabiles, atque occulatos ſui moderatores facit.

LXIII. Qui præ animi paſſionibus hectica ægrotant ni recreari, ac ſatisfieri queant, varios graviores publicæ calamitatis caſus, atque exempla iis adducere præſtat, ut alieni infortunii diſparitate quodammodo allevientur, quam illos corri-

Digitized by Google

rigere, utpote qui iraſcuntur, & animum deſpondent facilimè.

LXIV. (1) Cur domeſticarum aliarumve rerum ſtudia coram iis narranda non ſint?

(2) Cur ſpecula arcenda?

(3) Cur illorum aſſertis, vel poſtulatis non contradicendum?

(4) Cur ſemper hilari, & placida fronte tractandi?

(5) Cur ſervi eligendi ſint dociles, manſueti, impigri, prudentes?

(6) Cur non de agendis, ſed actis publicis, vel privatis recreationibus, ſpectaculis contemptus quodam modo informandi?

(7) Cur prudenti ſermone eos alloqui oporteat?

Digitized by Google

PARS TERTIA

De Therapeutice Antihectica.

CAPUT I.

De Lacte.

LXV. SUnt, qui lac hecticæ noxium arbitrantur, quod vero ſummis laudibus extollitur. Hanc diſcrepantiam non difficile ſolvet, cui plures hecticæ cauſas obſervare contigerit. Quoniam in præſens de eſſentiali, ac ſimplici he-

Digitized by Google

hectica habetur mentio, lacte idcirco ne dum refici hecticos, ſed & curationem accipere conſtat.

LXVI. Quum primum lac offerendum neceſſe eſt. I. Caccochymiam primarum viarum, ſi qua ſit, blandè auferre. (57. I.)

II. Acidorum (74. III.) uſum ſupprimere.

III. Animi tranquillitatem, ac ſpem conciliare.

LXVII. Eligi oportet ex fœmina ſana, juvene, mediocriter pingui, animi naturaliter placidi, ac patientis, antihectico victu (41. ad 48.) vivente; vel ex brutis manſueta natura præditis, herbis antihecticis (74. II.) nutritis.

LXVIII. Propinetur calidum recens, aquâ ſimplici, vel incoctis herbis (74. II.) antihecticis dilutum, vel & farinoſis (43) additis, ſimul coctis, quantitate virium rationi relata.

LXIX. Quæ lac profuiſſe docebunt ſunt I. Abſentia aciditatis, vel amaroris in primis viis.

II. Alvi nulla turbatio.
III. Sudorum moderatio.
IV. Somni facilitas.
V. Virium acceſſus.

LXX. (1) Cur ruſticarum lac felicius eo lautè viventium?

(2) Cur matutinum veſpertino utilius?

(3) Cur noxium, quod lactante gravida, vel famelica, intemperanti, annoſa, triſtibus animi paſſionibus correpta elicitur?

(4) Cur a lacte aſſumpto decubitus in faciem tam bene proſit?

(5) Cur ſtatim ab aſſumpto lacte ſomno parere malum?

(6) Cur matris, ſororis, filiæ, conſanguineæ lac interdum obſit?

(7) Cur non indiſcriminatim utendum lacte?

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

De Sanguinis Miſſione .

LXXI. HEcticis ſanguinem detrahere abſonum nonnullis videtur edoctis illorum humores, ſimul & vires a febre ſenſim abſumi. Qui verò eos juvantia, vel lædentia optimè noverit, ſanguinis miſſionem quoque antihecticorum numero tutò adſcribet.

LXXII. Seligentes ſanguinis miſſionem advertant. I. Parca hecticos indigere doſi.

II. Hirudinum ope lanceolâ fœlicius cedere.

III. Nil referre peculiarem ſauciandi loci electionem.

LXXIII. (1) Cur a detracto ſanguine pulſus durities, anguſtia, celeritas temperetur?

(2) Cur profundior reſpiratio, productior ſomnus, & cutis mollior?

(3) Cur ipſo miſſionis momento ſe allevari ſentiant ægri.

Digitized by Google

(4) Cur quo adultior morbus, eo ſenſibilius ipſis levamen?

(5) Cur cætera hecticorum ſymptomata moderentur? a LXXVI. da LXLIV.

(6) Cur in eradicativa methodo ſubſidiis aliis (a 65. ad 69. & 74. 75.) præcedens his feliciorem contribuat eventum?

(7) Cur ſi ope lanceolæ anguſto vulnere detrahendus ſanguis?

(8) Cur ſola ſanguinis detractio cæteris (a 65. ad 69. & 74. 75.) omiſſis non ſufficiat ad integram curationem hecticæ?

CAPUT III.

De Refrigerantibus.

LXXIV. QUæ a multiplici refrigerantium ſpecie in uſum hecticæ eliguntur indicata, ſunt. I. Aqua ſimplex potu, balneo, fomentis, vaporibus adminiſtrata.

II. Herbæ nonnullæ molliſſimæ cujuſmodi ſunt fragraria, viola, portulaca, malva, lactuca.

III.

Digitized by Google

III. Acida quædam, 1. ex regno animali ſerum lactis; 2. ex vegetabili herbæ ſimpliciter acetoſæ. 3. ex foſſili vitriolum correctum.

IV. Terræ medicatæ.

V. Abſorbentia.

LXXV. (1) Cur refrigerantia acquoſo potu excipere præſtet?

(2) Cur refrigerantia ex animali, ac vegetabili regno electa in confirmata hectica parcius exhibenda?

(3) Cur balnea primo febris ſtadio, fomenta ſecundo, ac tertio opportuniora?

(4) Cur emulſiones ex blandis ſeminibus preſſæ pro refrigeranti potu ſæpe hauſtæ non conveniant?

(5) Cur frequenti abſorbentium uſui non fidendum?

(6) Cur antimoniatæ præparationes antihecticorum titulo inſignitæ ut plurimum male cedant?

(7) Cur vomitoria, purgantia, diaphoretica, diuretica, aliaſque excretiones impellentia, carminativa, opiata, amara, aromatica, ſaccarata, mellita, mala?

(8) Cur vitriolum optimè correctum, rite adminiſtratum primò ſymptomata, poſteà febrem curet?

Digitized by Google

(9) Cur ante vitriolatorum uſum primarum viarum caccochymia removenda ?

(10) Cur hecticæ ſanatio ex vitriolo habita cita, & commoda ?

(11) Quibus indicationibus hæreditaria hectica præſervanda ?

CAPUT IV.

De Tuſſim ſedantibus.

LXXVI. NOnnulla hecticæ ſymptomata ægrotantes perſæpè adeo divexant, ut peculiaribus egeant auxiliis, Primum, quod ipſos affligat tuſſis eſt, febris aſſidua comes, inchoato morbo rara; aucto frequens, confirmato ſæpe diriſſima; omnes naturæ functiones perturbans cum maximo virium lapſu.

LXXVII. Rebus nonnaturalibus diligentius proſpectis, urgente adhuc tuſſi, confugiendum eſt 1. ad ſanguinis miſſionem, (71. 72. 73.) quæ minima quantitate fieri oportet. 2. ad fomenta ex ſimplici calente aqua, vel herbis antihecticis

(74)

Digitized by Google

(74) aut mixto lacte cocta (3) ad inſpirationem vaporum calidi lactis.

LXXVIII. (1) Cur opiata (83) noceant ?

(2) Cur mellita, ſaccarata, antirheumatica, oleoſa, inutilia ?

(3) Cur plurimâ tuſſi a vino omnimodò abſtinendum ?

(4) Cur dilutiori alimento paſcendi egri ?

(5) Cur præcox anxietas ?

(6) Cur facilis alvi fluxus ?

(7) Cur urinarum crudarum proventus ?

(8) Cur ſomnus brevis cum ſudore maximo ?

(9) Cur præ tuſſis ſævitie ex naſo, vel faucibus, pectore facilè proſiliat ſpumoſus ſanguis ?

(10) Cur vitriolum optimè correctum huic non officiat tuſſi ?

(11) Quæ alia interdum mala ex tuſſi ?

CA-

Digitized by Google

CAPUT V.

De ſudorem ſiſtentibus.

LXXIX. ALterum febris ſymptoma ſudor eſt: qui primò madoris formam induens futuræ criſeos ſpe Ægrotantibus imponit, copioſior inde emergens ac perſeverans ſomnum intercipit, feſtinat tuſſim, virium languorem, atque anxietatem inducit.

LXXX. Quæ ſelectiori virtute ſpontaneum Hecticorum ſudorem ſiſtere in potis habent, ſunt 1. acida; (74. III.) 2. abſorbentia; (74. V.) 3. lac (65) 4) farinoſa; (43. I.)

LXXXI. (1) Cur vitriolum Hombergiana induſtria correctum nomine ſalis ſedativi aquâ multâ ſolutum egregii uſus?

(2) Num hic ſal (81. I.) ità paratus cæteris præſtat vitrioli correctionibus, quod vitriolum oppoſito ſale coæqualis originis, ac ſolutionis in corpore coagulatum ſit?

3 Cur

(3) Cur peruvianus cortex ſudores ſiſtet, & quando ?

(4) Num quæ ſudores ſiſtunt genuina hecticæ ſubſidia aſſerenda ?

(5) Cur dormientibus recens paſtis ſudor multus ?

(6) Cur alimenta ex farinoſis (43 I.) non fermentatis, fermentatis melius ſudores temperent ?

(7) Cur rerum nonnaturalium errores ſudores plurimos excitent ?

(8) Cur ex alvi fluxu non ſiſtantur ?

(9) Cur ſudores(5. ad. 25. VIII.) partitis cibi, & potus ; (41) ſomni, & vigiliæ; (49) motus, & quietis (52) de nycthemero regulis, plurimum moderentur ?

(10) Cur excretorum, ac retentorum proportiones apprimè cuſtodiendæ?

CA-

CAPUT VI.

De Somnum Conciliantibus.

LXXXII. TErtium hecticæ ſuperveniens ſymptoma vigilia eſt, quam tuſſis, ſudor, ac potiſſimum febris ipſa fovet.

LXXXIII. Opiatorum uſus, ut aliis ægritudinibus utilis, huic vero graviter noxius: ſub animi namque, & tuſſis brevi requie febrilem accelerat motum, ſudorum incrementum, ac quod pejus eſt, ſummam virium jacturam parit.

LXXXIV. Quæ difficilem hecticorum ſomnum juvant, ſunt I. lac tepens multa aqua dilutum aſſumptum (65. ad 68).

II. Potiones dilutiſſimæ ex antihecticis (74. II.) herbis aquâ decoctis.

III. Vitrioli eſſentiæ optimè caſtigatæ.

IV Fomenta ex aqua ſimplici calida, vel lacte, aut herbis antihecticis (74. II.) incoctis.

LXXXV. (1) Cur aliquando vigiliam ſolvant ennemata blanda .

(2) Cur & ſimplicis aquæ calidæ potus idem (85. I.) faciat?

(3) Cur ſomnus difficilis interdum ſanguinis miſſione concilietur ?

(4) Cur pluvioſo placidè cœlo ſomnus facilior ?

CAPUT VII.

De Diarrhoeam Cobibentibus .

LXXXVI. SUccedit aliud confirmatæ , ut plurimum , Hecticæ ſymtptoma , diarræa videlicet , quá primum ægri ſe melius haberi credunt , pertinaciter autem effluens , ut ſui moris eſt , ad interitum hecticos , ut citiſſimè perducit .

LXXXVII. Alvi cohibendo fluxui plurimum proſunt 1. epithemata antiſeptico-cardiaca actu calida epigaſtricæ regioni admota . 2. largior doſis ſalis ſedativi Hombergiani (81) 1) 3. farinoſa

ſa non fermentata (43. I.) 4. terræ medicatæ .

LXXXVIII. (1) Cur brodia avium , pullorum , ſerpentium , gelatina eboris , cornu cervi ſæviorem diarrhoeam concitent ?

(2) Cur hipecaquanna profuſiorem incitet fluxum ?

(3) Cur vinum , ſæviente licet tuſſi in epithemate exceptum ſummum præſidium ?

(4) Cur opiata primum conducere videantur , poſtea inutilia , & tandem noxia ?

(5) Cur ſitis ?

(6) Cur fomenta ex lacte calefacto artubus admota diarrhoeam mitigent?

(7) Cur ſolis abſorbentibus fidere tutum non ſit ?

(8) Cur diarrhoea, & flatus inteſtinorum dolore carentes ?

(9) Cur diarrhoea anxietatem (89) ducat, atque brevi tempore in lienteriam tranſeat ?

(10) Cur ennemata chalybeata aliquatenus proſint ?

(11) Cur emulſiones ſeminum cujuſcun-

cunque ſpeciei, ac lactis ſerum penitus interdicenda?

(12) Cur diaphoreticis uti ad ſiſtendum alvum, peſſimum?

(13) Quid ſentiendum ſit de prædicatis adſtringentibus?

CAPUT VIII.

De Anxietatem Lenientibus.

LXXXIX. DEploratam hecticam anxietas occupat, cui tusſis plurima, inquietudo ac vigilia accedunt. Foveantur ubique hectici calidis aquoſis, vel remixto lacte fomentis, atque, ſi vires nonnihil valent, una, vel altera ſanguinis uncia iis extrahatur, (71) victuque (43 I.) dilutiſſimo reficiantur.

LXL. (1) Cur pulſus inflammatoriæ gangrenæ ſimilimus?

(2) Cur ſub ipſa ſanguinis miſſione multum levaminis?

(3) Cur antiſpaſmodica, oleoſa, pectoralia hanc anxietatem vix mulceant?

4 Cur

Digitized by Google

(4) Cur facile ſanguinis ſputum?

(5) Cur ægri gratis cardiacis epithemate (88. III.) vel potione (93) exceptis conſortandi ſint?

CAPUT IX.

De Dolores pacantibus.

LXLI. POſtremis vitæ diebus a nonnullis intenſis doloribus artuum potiſſimum afficiuntur miſeri; quos reſolventia, oleoſo-demulcentia, diaphoretica neutiquam ſolvunt calidis autem fomentis, vel catapłaſmatibus ex lacte his recepto placantur.

LXII. (1) Cur interdum aucto morbo, vel confirmati initio accidant, ſed citò, ac ſpontè evaneſcant?

(2) Cur lac opportunius alimentum?

(3) Cur aſſiduò fovendæ ſint aqua calida, vel lacte artuum quoque extremitates?

(4) Cur hic animæ, ac corporis negotia concludenda?

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT X.

De Animi deliquium Erigentibus.

LXLIII. VIribus præ macie cum morte luctantibus erigendis inſerviunt 1. mixturæ ex acidis gratis vegetabilium, cum fragrantibus blandis horum eſſentiis unitæ, perquam dilutè oblatæ. 2. epithemata (LXXXVII. 1. 3.) Atque hic eſt Artis meta.

CAPUT XI.

De Monitis in hecticam ſymptomaticam.

LXLIV. QUi ſymptomaticæ hecticæ medendæ incumbunt, perpendant 1. cauſſarum naturam, tempus, & locum: experientiâ namque erudimur multiplices eſſe illarum ſpecies, atque affectæ partis uſus, ut temporis mora ex una ſimplici

Digitized by Google

aliæ perſæpè effluant & variis etiam præſidiis indigeant.

LXLV. Cum ad ſymptomaticam hecticam duplex indicatio ſumenda ſit, prima videlicet a cauſſis, altera a febre, noſcant 2. oportet hujus gradum, ne radicali medela inconſultò utantur, cum palliativâ ſatius eſſet, atque exindè ægros miſerimè perdant.

LXLVI. Advertant 3. nonnulla cauſſis dicata ſubſidia in damnum hecticæ cedere: atque ex oppoſito ſelectiora quædam antihectica ipſis medendis plurimum officere; præſtat tamen radicitus curativas cauſſarum indicationes inter hecticæ initia experiri. 109.

LXLVII. Lac ſymptomaticæ hecticæ noxium, ejus autem ſerum purulentæ bonum.

LXLVIII. Hordeum purulentæ hecticæ optimum.

LXLIX. Farinoſa ſimplicia ex tritico ſymptomaticæ hecticæ ab obſtructionibus ortæ nocent.

L. San-

Digitized by Google

C. Sanguinis detractio purulentæ hecticæ tuſſi plurima anxietate, exacerbatione febrili ſimul correptæ convenit: cæteris autem ſymptomaticis incommoda.

CI. Vitriolatæ præparationes ſymptomaticæ radicitus curandæ non ſufficiunt.

CII. Peruvianus cortex antihecticis refrigerantibus decoctus ſymptomaticam ex intermittentibus inductam tam inchoatam (3) quam auctam (4) ſæpe fugat.

CIII. Purulentæ utcunque hecticæ plurimum congruit ligni guajaci decoctio.

CIV. Purulentis ex intropreſſis cutis morbis, viribus adhuc ferentibus, urticationes, cutis atque excitati leves, parvi, per intervalla abſceſſus juvant.

CV. Purulentis a venerea vel ſcorbutica labe natis tum mercurius blandè adminiſtratus, tum ſpecifica antiſcorbutica proſunt.

CVI. Obſervatio pulſus in purulenta hectica maximi æſtimanda eſt, docet enim puris retentionem a ſalubri moderatione diſtinguere in illa ſiquidem durior, celerior,

anguſtior evadit pulſus; in hac vero tardior, altior, mollior.

CVII. Plurimo manante pure ne fugias illicò ad incraſſantia, ſed ad diætæ errores prius reſpicias, ad excernenda ſcilicet retenta, ad alimentorum repletionem, vel pravitatem, vel ad animi validos affectus.

CVIII. Abſorbentia gummoſo-mulcentia, terræ medicatæ omni febris (3. 4. 5. 6.) gradu moderatè uſurpari queunt.

CIX. Diaphoretica, diuretica, emmenagoga, deoſtruentia, purgantia, curandis radicitus cauſſis indicata, lenia ſint, ac per intervalla, cum externorum ſubſidio (57. a I. ad VI.) adminiſtrentur, neque aucta jam hectica (4) præſcribantur.

CX. Palliativa cauſſarum medela innititur 1. externis (57. a I. ad VI.) tempeſtivè adhibitis: 2. emendantibus (108.), ac 3. antihecticis (74. ad 93.).

CA-

Digitized by Google

CAPUT XII.

De Monitis in hecticam compoſitam.

CXI. PUrulentæ hecticæ auctæ (4) & confirmatæ (5. 6.) pomeridianis horis aliis febrilibus periodis quotidianam intermittentem mentientibus vexantur; cave angue, & cane pejore a cortice peruviano, aliiſve febrifugis, ſolis enim antihecticophthiſicis medentur.

CXII. Purulentæ venereæ, ac ſcorbuticæ vagis ſuperadditis febribus affliguntur, quæ nonniſi ſuis ſpecificis cedunt.

CXIII. Catharralibus morbis quum afficiuntur hectici, illorum curatio diaphoreticis minimè tentanda eſt, ſed parca ſanguinis miſſione, ſi graves ſint, ſuccis blandis pectoralibus ſaccaro, ac melle carentibus, urticatione quoque curantur.

CXIV. Vera intermittente laborantibus china china (102).

CXV.

Digitized by Google

CXV. Ephemeras, & ſynochas aquæ ſimplicis, & calidæ potio ſenſim extinguit.

CXVI. Confirmatam non ingreſſis hecticam conſuetæ naturæ hæmorrhagiæ adhuc interveniunt, quarum ſuppreſſione nonnullis plethoræ ſymptomatibus perturbantur, quæ ſanguinis locali per ſanguiſugas extractione placantur.

CXVII. Solutionum continui, contuſionum, fracturarum, luxationum, eriſipelatum, combuſtionum, cæterorumque ſimilium contingentium morborum curatio integra vel palliativa ex fonte Chirurgico Medico petenda eſt, cujus electionem Ægrotantium vires atque Hecticæ requiſita definient.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

0056569085

Digitized by Google

gle